

mationem Concilii Tridentini. Reformationes vero Tridentini Concilii paulatim in omnes regiones Croatiae, ubi Franciscani curam pastoralem gerebant, introductae fuerunt. Ratione quarum innovationum non semel dissensiones vel oppositiones inter episcopos et superiores regularis provinciae ortum habuerunt. Nihilominus omnes hujusmodi quaestiones finaliter in spiritu hujus Concilii solvebantur. Talis status juris communis a Tridentino pressius determinati in regionibus sub fine saec. XVII ab Othomanis liberatis perduravit usque hodie. In territorio vero Bosnae et Hercegovinae idem hoc jus immutatum sub regimine Vicariorum Apostolicorum conservatum fuit una cum quibusdam extraordinariis privilegiis et gratiis usque ad instauratem hierarchiae episcopalnis ordinariae a. 1881, cum qua demum etiam illae reliquiae, quae aliquatenus faciem terrae missionum ecclesiae bosnensi impreserant, disparuerunt.

Ulterius vero super iisdem his fundamentis juridicis, in ambitu juris communis, erigebatur tota fabrica organisationis virium in provisione pastorali populi.

Tota igitur genesis (ab a. 1340), evolutio et finalis conditio hujus juris parochialis et pastoralis organisationis Franciscanorum apud croaticam gentem usque ad nostra tempora ex sequenti nostra tractatione magis clare patebit.

\*

Ulterius praemonere oportet nos prae oculis tenere *terras sic dictas historicas Croatorum*, id est territorium cui confinium faciunt in Occidente Mare Adriaticum ab amne Arsia in Istria usque ad sinum Rhisonicum (Bocca di Cattaro); in Oriente flumen Drina; a Septentriione vero flumen Dravus versus Sloveniam. In hoc vastissimo territorio plus quam 100.000 millia km. quadratorum continente, Franciscani activitatem pastoralem expiicarunt in regionibus saepius perturbatis sive ab aliqua potestate extranea civili, sive internis pugnis religiosis ex parte orthodoxorum et haereticorum. Hujusmodi vero regiones sunt sequentes (utique in ambitu totius territorii croatici): Bosna et Hercegovina, Dalmatia et Slavonia. Dum econtra in sic dicto Banatu Croatensi, territorio numquam ab ullo hoste oppugnato, neque religiosis majoris momenti pugnis perturbato, opus non sentiebatur adjutorii Franciscanorum etiam in pastorali officio, etsi et inibi numerosos conventus possidebant, atque hinc inde etiam in pastorale officium advocabantur. Hoc vero territorium ab historicis vocatum »Reliquiae reliquiarum Regni Croatiae« sub fine saec. XVI coarctatum fuit ad sola 18.000 km quadratorum.<sup>3</sup> Ideoque in nostra quaestione raro in considerationem veniet haec pars territorii croatici.

<sup>3</sup> Srkulj S., Hrvatska povijest u devetnaest karata, Zagreb 1937, 13. carta 13. De caractere croatico Bosnae et Hercegovinae vide Hrvoje Bošnjanić, Hrvati i Herceg-Bosna, Sarajevo 1940.